

tempore, quo ego Upsaliam inhabitavi, ut de æstate ferè desperem.

*Marrubium Alysson* habui ex Angliâ; virent plantæ; semina certò obtinebo hâc æstate, et mittam.

Plures iterùm enascuntur à divinis tuis seminibus, præterito anno missis; et quidem varia, quæ primo anno non germinârunt. Omnes tui *Cisti* perdurârunt in hybernaculo hyemem, et promittunt mihi gratam æstatem suis floribus.

Inclusas, quæso, litteras mittas ad D. Seguierium non procùl à te habitantem; nescio verò ubi.

Instituta apud nos fuère experimenta cum *Spigeliâ anthelmicâ* contrà vermes, idque felicissimo cum eventu.

Gronovius diù fuit valetudinarius. Cliffortius adhuc vivit, et à me petiit alteram editionem *Horti Cliffortiani*.

Nondùm prelo subjecta est Kalmii *Flora Canadensis*. A Loefflingio per annum nullas litteras habui \*.

Fertur alterum discipulum Rolandrum, egregium insectologum, fatis cecidisse Surinami \*\*.

---

\* Il mourut cette année.

\*\* Rolander n'était pas mort, mais il commençait à être ingrat.